



2  
AD  
ORDINIS THEOLOGORVM  
SOLENNEM PANEGYRIN

Q V A

D. XXV. MAII M D CC XLVII.

WITTEBERGAE

IN TEMPLO AD ARCEM ACADEMICAM  
S.S. THEOLOGIAE DOCTOR

FESTO PIOQUE RITV

RENVNCIABITVR

RECTOREM  
ACADEMIAE MAGNIFICVM

PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS

CVM LITTERATIS AC LITTERARVM

FAVORIBVS OMNIBVS

OBSERVANTISSIME INVITAT

D. CHRISTIANVS FRIDER. BAVEL

S.S. THEOL. PROF. PVBL. ALVMN. REG. ELECT.

EPHORVS


H. T.

PRO-CANCELLARIVS.









Q. D. B. V.

**D**e prouentu fructuum spiritualium, aenigma sacrum, propheta Zacharias sequentibus verbis proposuit: Zach: IX. 17. כִּי מֵה־טִּיבוֹ רִמּוֹה־יִפְּגוּ דְגַן בְּחוּרִים וְתִירוֹשׁ יִנוּבֵב : רִמּוֹה־יִפְּגוּ דְגַן בְּחוּרִים : *Sed quid bonum eius, et quid pulchrum eius erit? frumentum, quod iuuenes, et mustum, quod uirgines proferet.*

Nemo mihi succenseat, quod haec uerba aenigma sacrum appello, de uerbo et spiritu Christi, deuastata per Romanos terra sancta. Quaestio enim mouetur, de bono et pulchro Messiae, si terram suam sanctam Romanis debellandam dabit: *Sed quid bonum eius et quid pulchrum eius erit?* et datur responsio; uerbum Messiae fore, *frumentum, quod iuuenes*, ut fructum produceret: et spiritum Messiae fore, *mustum, quod uirgines*, ut germen *proferet*. Sub Allegoria, quae difficiliter intelligitur, uerbum et spiritus Messiae eleganter et acute offertur, et docetur, in uerbo et donis spiritus sancti, quaerendam esse Messiae bonitatem et pulchritudinem; nec de prouentu horum fructuum spiritualium dubitandum esse, sub difficillimis ultimi belli Iudaici temporibus. Quo maiori laude, et admiratione dignum est id, quod tam obscura quaestione, et acute apposita responsione, denotatur, eo meliori iure, aenigma-



tis sacri nomen accipit. Sub continuata enim et multiplici allegoria, bonum et pulchrum Messiae edisserit, et uerbis aenigmaticis, res sacras Christianorum inuoluit. De quo proposito aenigmate prophetae Zachariae, nunc uidebimus, quanta sit rum expositionum uarietas. Deinde, quid certi, quid ueri, quid boni et pulchri ad illustrandam huius aenigmati sacri quaestionem de nouo proferri queat.

Operae pretium erit, ut diuersas uersus nostri uersiones et explicationes, communicemus, dum aliter Graeci, aliter Latini; aliter Vulgatus, aliter Lutherus, et in Germanica lingua, alii aliter uertunt et exponunt. Plenum textus originalis sensum nec LXX affecuti sunt, sic uertentes Zach: IX. 17. Ὅτι ἐὰν τι ἀγαθὸν ἀντὶς, καὶ ἐὰν τι καλὸν ἀντὶς, σίτος ἑσθλῶν, καὶ οἶνος εὐωδιάξων εἰς παρθένας. *Quia si quid bonum eius, si quid pulchrum eius frumentum iuuenibus, et uinum bene fragans in uirginibus.* Textus sacer uero non loquitur, de iuuenibus frumento sustentandis, de uirginibus musto exhilarandis, sed de bono et pulchro Messiae, cuius prouentus forent nati ex Deo iuuenes, et uirgines, quae Christo desponsari possunt. Sed haec non intellexit ecclesia Graeca, tempore THEODORETI, prout conspici potest, tam ex uersione quam explicatione huius patris latina p. 498. *Si quid ab eo, frumentum iuuenibus, et uinum boni odoris ad uirgines; petite pluuiam a Domino opportunam, temporaneam et serotinam: Dominus fecit pbantafas: et pluuiam byemalem dabit eis, unicuique herbam in agro.* Quae confuse, et neglecta uersuum distinctione minus accurate translata, deinde sic explicuit THEODORETVS:

*Ipse, inquit, uinum et frumentum donat, ut iuuenes frumento confirmetur: et uirgines ex uino laetitiam percipiant. Hoc enim loco uinum pro laetitia posuit. Itaque haec non ignorantes, temporaneam et serotinam pluuiam in tempore petite ab eo, qui dare potest. Etenim, ipse pluuias auctor, et aliarum rerum opifex, quae timori solent esse hominibus. Fulgura enim in pluuiis fecit haec eiusmodi pbantafas appellauit, nempe exte-  
rentia*



*rentia homines. Per haec etiam ex terra gignantur fructus, Deus quidem uerus talia et conficit et largitur.* Habemus specimen exegeseos Graecorum patrum, qui linguae sanctae imperiti, phantasiis suis, et iudaeorum traditionibus addicti, prophetas non intellexerunt.

Uersio VVLGATA: *Quid enim bonum eius est, et quid pulchrum eius, nisi frumentum electorum, et uinum germinans uirgines, in germanicis Catholicorum bibliis sic translata est: Denn was guts ist an ihm, und was ist an ihm schönes, ohne das Korn der Auserwählten, und der Wein, daraus Jungfrauen hervorwachsen.* Contra quam uersionem GROTIUS monet: *In Hebræo non est NISI. Quanta enim bonitas eius, et quanta pulchritudo eius (terrae? scilicet) frumentum proueniet, et uinum cantare faciet uirgines: ut sit ינובב a יבב iuuenes laetum carmen canent, ob messem, et puellae ruris ob felicem uindemiam.* Sic GROTIUS commentatus est, in quem uero recte b. CALOVIUS T. II. Bibl. III. p. 985 animaduertit, *quod cum Iudaeis mere carnalia tantum, hic somniauit.* Nulli etiam litteraturae Hebraicae perito GROTIUS persuadere poterit, quod ינובב sit a יבב, quod Iud: V. 28 occurrit, et de matre Sisserae per fenestram lamentante legitur. Qui talia dixerit, prodet suam ignorantiam in grammaticalibus Hebraicis. Nunquam enim Philologus linguae sanctae peritus statuet, quod ינובב sit a יבב quod iterum GROTIUS somniauit.

Genuinam significationem radicis נובב *progerminare, seu ut germen et fructum suum proferre, prouenire, et in Piel נובב facere, ut proueniat prouentus, deserunt interpretes, qui ינובב de facundia intelligunt.* IUNIVS et TREMELLIUS sequentem tradunt uersionem: *Nam quantum erit bonum eius, et quanta pulchritudo eius? Frumentum iuuenes et mustum facundas faciet uirgines.* Quae in Piscatoris reformata uersione sic translata inuenio, in Bibliis pentaplis Tom. II. p. 1057: *Denn o wie groß (wird) seine Seeligkeit (seyn) und o wie groß (wird) seine*



seine Schöne (seyn!) Korn wird die Jünglinge, und Most  
wird die Jungfrauen beredt machen. Quocum consentit  
iudaeorum versio Germanica: Denn wie gar viel wert sein Gut  
seyn, und wie groß wird seine Schönheit seyn? Das Korn wird  
die Jünglinge, und der Most die Jungfrauen reden machen.

Si ex sententia Domini de *Voltaire* nulli meliores prophe-  
tiae forent interpretes, quam Iudaei, ab illorum explicatione  
discrepare mihi, non audiendum esset, nec Romano-Catholico.  
Scripsit enim in epistola circa Pascalii cogitationes de religio-  
ne, quod *nulla gens, quae sana ratione ducatur, uaricinia de  
Messia aliter intelligere possit, ac iudaei intelligunt.* Sed cur  
tantum honorem, genti, et Deo et cunctis mortalibus inuisae  
deferam, ut sapientiae et salutis magistros adfiscam, qui ex-  
caecati sunt duces, et scripturam ignorant? Egone gentem  
omnium bonarum artium rudem, genii linguae sanctae et ac-  
centuationis Hebraicae expertem, et summa quadam stultitia  
praediram, mihi magistram praeclarissimae exegeseos adhibe-  
am, illiusque ineptias atque fabulas, cum incredibili insulsi-  
tate confictas, approbem? et qui Christi sacris sanctissimis initia-  
tus sum, hostes Christi perditissimos, mihi audiendos existi-  
mem? Non irrationabilis est Christianorum fides, si Iudaeos  
scripturam detorquentes non audiunt, sed scripturam ex se  
ipsa explicant. Proinde etiam uera, ac certa significatio uocis  
יִרְבֵּב non a Iudaeis discitur, sed ex usu biblico, et ex medi-  
tatione locorum, in quibus occurrit, eruenda est. De ortu et  
prouentu alicuius rei adhibetur רָבַב *fructificare seu ut germen  
et fructum suum proferre*, ut constat ex Ps. LXII. 11 it. Ps.  
XCII. 15. Prou. X. 31. Es. LVII. 19 et Mal. LVII. 19. Quem  
significatum, dum uersio b. LVTHERI retinet, aliis etiam pal-  
mam praeripit.

En uero egregiam b. LVTHERI uersionem: Denn  
was haben sie gutes vor andern, und was haben sie schönes vor  
andern? Korn das Jünglinge, und Most der Jungfrauen zeuget.  
Accipiendum fidelibus N. T., bonum et pulchrum Messiae,  
melius





melius exprimit, quam uersio b. Sebastiani SCHMIDII: *Quantum namque (erit) bonum eius, et quanta pulchritudo eius? (siquidem) frumentum iuuenes, et mustum proferet uirgines.* In fontibus enim, per interrogatiuum **ἦν**, non interrogatur, de quantitate bonitatis et pulchritudinis Messiae? sed simpliciter de bono et pulchro Messiae, fidelibus exhibendo? in quibus beneficiis consistat. Quamuis itaque b. LVTHERVVS non stri-  
cte uerbis adhaereat, nec affixum ἦ exprimat, sensum tamen, quo intelligendum est, praeclare exhibet. Sermo est, de bono et pulchro Domini, quo populum suum afficiet. Hu-  
ius uersionis sensum probe expressit LVCAS OSIANDER, in parte II. Bibl. p. 526. *Quid habet Dei ecclesia, bo-  
ni et praeclari prae omnibus aliis populis? Dicam tibi; in  
ecclesia est talis cibus et potus, qui non generat infantes, qui  
diu in cunis uagiant, et magnis molestiis atque multis annis uix  
educari possunt, ut maturi fiant, coniugio, aliisque rebus geren-  
dis; sed uerbum euangelii, (quod est instar optimi frumenti &  
uini) fide susceptum, tales filios gignit, qui statim sunt iuuenes,  
et gignit filias uirgines, matrimonio maturas, hoc est, efficit ho-  
mines idoneos, qui possunt fidei suae rationem reddere, et alios  
etiam filios spiritaliter Christo gignere.* Sine dubio respexit  
glossam marginalem b. LVTHERI: *Das Euangelium ist ein solch  
Wort, das nicht Kinder zeugt, die in der Wiegen liegen, sondern,  
wenn sie gezeuget sind, sind sie junge Gesellen und Jungfrauen,  
zur Ehe tüchtig, das ist, zu lehren und andere geistliche Kinder zu  
zeugen.* Quibus uerbis, si ex intentione dicentis recte intelli-  
guntur, pius inest sensus, analogiae scripturae consonus. Quis  
enim negabit, efficaciam euangelii sic posse indicari et illustra-  
ri in adultis. Dubitari etiam non poterit, quod bonum et pul-  
chrum Domini sint uerbum et sacramenta eius, quae tam in  
V. quam N. T. fuerunt alimonia fidelium spiritualis, praefer-  
enda frumenti et multi multitudini Ps. IV. 8. Ex uerbo enim  
et sacramenti, nascuntur Messiae filii praestantissimi et copio-  
sissimi, Ps. CX. 3. instar iuuenum ac uirginum, ubi sub uoce  
*iuuenum* respicio ad adoptionem in filios; uoce *uirginum* ad  
desponsationem et unionem mysticam. Virumque benefici-  
um,



um, uerbo et sacramentis in ecclesia N. T. debemus. Sic nos-  
frates, in exponendo frumento et musto, ut bono et pulchro  
Messiae in ecclesia N. T. bene consentiunt, quamuis detur ma-  
gna uersionum et explicationum uarietas.

Obseruemus autem in meditatione sacra etiam *plus ultra*.  
Notum est, in legitima scripturae sacrae interpretatione, tria  
postulari requisita generalia, orationem, meditationem, et  
tentationem. Ad meditationis caput pertinet non solum  
hoc praeceptum, ut consulantur alii interpretes, praeser-  
tim ueneranda illa priscorum ecclesiae doctorum canities, sed  
etiam, ut inspiciantur fontes et contextus, ex eorumque pia  
consideratione et meditatione, nouum quid sentire, nulli du-  
catur turpitudini. Inexhaustum quippe scriptura sacra est  
mare, in quo saepius ab uno id obseruatur, quod alter non cu-  
rauit, eiusque studio producitur, quod multis aliis expiscari  
non datum fuit. Tentabimus itaque, num ad illustrationem  
explicati aenigmatis sacri, de nouo, aliquid certi et ueri, boni  
et pulchri proferri queat, quod tamen cum reliquorum nostra-  
rum sententia facile conciliari poterit. Non enim meditatur  
nouum aliquem scripturae sensum, praeter antiquissimum seu  
litteralem; noua tamen industria eruendum et afferendum.

Ad cohaerentiam uersus nostri, cum praecedenti textu, si  
accurate attendimus, patet, particulam connectendi וְ hoc loco  
aduersatiue per *sed* uertendum esse. Quae significatio in pe-  
riodo Aduersatiua non est insolens, cuius, priori membro, per  
Aduersatiuum וְ, contrarium in posteriori membro annecti-  
tur. Plura exempla exhibet b. GLASSIUS in Phil. S. p. 1110,  
et 1112, ubi coniunctio וְ non causaliter, sed *aduersatiue* est  
posita. In praecedenti uersu, sermo fuit, de deuastatione ter-  
rae sanctae, tempore ultimi belli iudaici, quo a lapidibus coro-  
nae uexilla sunt inferenda וְ *contra terram eius* אֶרֶץ דְּמִינָה scilicet  
*Domini*. Huius belli malis, opponitur bonum et pulchrum  
Messiae. Me quidem non fugit, alios interpretes particulam  
וְ



לע non sic accepisse, ut significet *contra*, sed uertisse supra terram, uel in terra, sed illi non obseruant, frequentiore[m] esse significationem לע *contra*; et, ubi de bello, et signis contra terram eius ferendis, sermo est, multo aptiorem. Prouoco ad exemplum Zach: XII. 3. 7. 9. Deinde eiusmodi interpretes non obseruant Antithesin inter *lapides fundae et coronae*. Sed quodnam eius erit bonum et pulchrum, si regi et Domino terrae sanctae, *Romani* contra eius terram uexilla erecturi, erunt *lapides coronae*, quos in gemmas coronae imperii Romani eliget; suum autem populum, *Christianos*, quos tamen saluos faciet, permittet eiici e terra sancta, tanquam *lapides e funda*.

Haec Antithesis, e contextu obseruanda, etiam est ratio, cur interrogatiuum מה *quid*, hoc loco non exaggeratiue exponendum duco, per *quanam et quanta erit bonitas tua*? In uberioribus annotationibus b. D. I. H. MICHAELIS sequentia quidem leguntur: *QVAE hoc est QVANTA*. Exaggeratiuum simul est pronomen non simpliciter interrogatiuum; tanta eius bonitas erit, ut nequeat explicari, erit ineffabilis. Scilicet interrogatio sanctam insnuat admirationem; ob magnitudinem bonitatis. Sed fateor, mihi nondum apparere necessitatem, ob quam non simpliciter interrogatiue accipiam, uerba מה טובו *quodam erit bonum eius*? Non tam de magnitudine bonitatis Messiae quaestio mouetur, sed ignoratur bonum et pulchrum, quod Dominus sub ultimo terrae sanctae excidio, Christianis relinquet. Hoc non concernit, alimoniam temporalem, seu uberem in terra sancta messem et uindemiam, ut de bonitate terrae sanctae cogitandum sit, quod uolunt Iudaei, et Theodoretus cum Grotio. Obstat affixum ך quod est Masculinum, nec trahi potest ad terram. Obstat contextus, quo nulla terrae sanctae cultura agrestis, sed deuastatio per bellum praenunciatur. Cuius ergo bonum et pulchrum in quaestionem uenit? Respondeo, non terrae sanctae, non populi Iudaici, sed regis Messiae. Quod-

B

nam



nam bonum eius, et quodnam pulchrum eius erit, quod Dominus Christianis ut populo suo, per deuastationem Iudaeae exhibebit? Haec quaestio mouet dubium, an etiam bellum contra terram sanctam, rei Christianae sit proficuum? An etiam victoriae Romanorum de iudaeis, cedant in salutem Christianorum? Nonne etiam prouentus fructuum spiritualium hoc bello impediatur? nonne uerbum ac spiritus Christi plane tollentur, prout belli tempore, diligens cultura agrorum et uinearum impeditur. Hoc est argumentum quaestionis, ad quam nunc aenigmatica datur responsio. Sed quid bonum eius erit, et quid pulchrum eius? *Frumentum, quod iuuenes, mustum, quod proferet uirgines.*

In hac responsione plures adhibentur metaphorae, quae primo diuisim, deinde coniunctim considerandae sunt. Ad sunt metaphorae, a re frumentaria, a cibo et potu, et a prouentu fructuum desumptae, ad sunt etiam locutiones, per quas hae metaphorae ad regenerationem, ad iuuenes et ad uirgines Christi producendas, translatae sunt. *Frumentum*, quod in agros feritur, fructificare non potest iuuenes, sed segetem et messem, sementi similem; ut sementem feceris, ita et metes. *Mustum*, quod bibitur, non proferre potest uirgines. Ne igitur per frumentum, semen agri ferendum, cogitemus, additur praedicatum, *quod iuuenes* ut fructum suum *proferet*. Ne per mustum intelligamus, germen uitis, ideo additur praedicatum, *quod uirgines proferet*, ut germen suum. Ne de generatione hominum carnali accipiantur, nullorum infantium, sed iuuenum ac uirginum prouentus sistitur. Iuuenes et uirgines ponuntur etiam pro posteritate, et quamuis considerentur ut proferenda terrae nascentia; cogitandi tamen sunt Christiani, *nati ex Deo*, III. 9; *renati non ex semine mortali, sed immortalis, per uerbum uiuentis Dei, et manentis in aeternum*, I. Petr. I. 23. Ex subducendis his rationibus, sequens fiat collectio! Nec bonum et pulchrum Christi, nec salus ecclesiae Christianae, consistit in terrae sanctae quieta possessione, fertilique agrorum



rum et vinearum cultura. Rom. XIV. 17. *regnum Dei non consistit in edendo et bibendo, sed in rebus longe melioribus et maioribus, in bonis nimirum spiritualibus, ad uitam, quae ex Deo est, necessariis, quibus tam nos alere, quam alios cibare possumus.* Ergo in explicanda data responsione, *frumentum, quod iuuenes, mustum, quod uirgines profereat*, non ad promissionem frumenti et musti corporalis, sed ad multo sublimiora et praestantiora bona spiritualia animus noster dirigendus est, ut meditetur, quatenam bona Christi, sub deuastatione terrae sanctae, Christianis collata sunt, quae ut bonum et pulchrum Messiae haberi, et cum frumento et musto comparari possunt? Vbi tandem ille, qui ad eruenda emblemata sacra exercitatos habet sensus, inueniet; sub multis metaphoris nobis fisti, *uerbum et spiritum Christi*, quem dabunt prouentum fructuum spiritualium post ultimum bellum Iudaicum.

Verbum et spiritus Christi, sunt id, quod nec ipsi Christo deest, sed ut bonum *eius*, ut pulchrum *eius*, considerandum venit, quo etiam Christiani opus habent, tanquam alimento spirituali, ad sustentandam uitam spiritualem. Frumentum *corporeale* est semen purificatum, quod necesse habemus, ad alendam corporis uitam, sed quod a terra, maledictioni subiecta, non sponte nascitur, nam ager incultus spinas tantum et tribulos profert. Sic uerbum Dei, est frumentum spirituale, quotidie necessarium. Verbum Dei est etiam semen uiuum, uirtute Spiritus Sancti praeditum, quod a nobis accipiendum est, ut *λόγος ἡμῶντος, sermo inferendus* in agrum bonum, ut ibi radices agat, et fructus proferat Deo gratos. Populus Dei, seu ecclesia Christi, sit ager bonus, qui centuplos proferat fructus, nec ager incultus spinas et tribulos proferens. Verbum Dei, bono corde exceptum, hominem efficit spiritualem, et uita Dei praeditum, quia *uerbum Christi est spiritus et uita* Ioh. VI. 63. Proinde nobis praecipue meditandum est *uerbum Dei propheticum*, ecclesiae Iudaicae concreditum. De quo Paulus interrogat Rom. III. 1. 2. *Quae est*



est igitur praestantia Iudaeis, aut quae utilitas circumcisionis? *Multa per omnem modum. Primarium enim illud est, quod eis credita sunt eloquia Dei.* Eloquium Dei fuit frumentum ecclesiae Iudaicae, quod tam ipse Christus in agrum suum seminavit, quam per prophetas et Apostolos ferendum curavit. In qua agricolatione Dei, 1. Cor. III. 9. datur *γεωργίον agrum Dei, per ministros uerbi diuini colendum*, datur etiam Ioh. IV. 35. *regio iam alba ad messem.* Hinc Christus ipse, sui uerbi propheterici ministros, subdividit, in *satores*, et *messores*. Ioh. IV. 39. 38. Per illos *prophetas*, per hos *Apostolos* intelligit. Prophetarum prima semina sparserunt promissionum de Christo, maturitatem huius segetis, id est, impletionem uerbi propheterici de Christo uiui non attigerunt. Apostoli uero successerunt in horum messem. His collectio et conseruatio adimpleti in Christo uerbi propheterici relicta est. Postquam enim Christus in mundum uenerat, et omnem de eo dictam scripturam adimpleuerat, tempus messis uerbi propheterici appropinquabat. Est profecto *tempus messis*, elegantissimum emblema, sub quo tempus iudiciorum Dei in Iudaeos, post aduentum Messiae, et post effusionem Spiritus sancti, in Ioel IV. 13. occurrit. Tempus messis est, in quo frumentum ad maturitatem peruenit, et ad colligendas fruges, nulli parcendum est labori. Tempus autem ultimi belli Iudaici, et excidii Hierosolymitani, fuit tempus, quo uerbum Christi prophetericum ad maturitatem peruenit. Stante adhuc templo secundo, post mortem Messiae, et durante Hierosolymis cultu Leuitico, uerbum, quod Christus et omnes prophetae de deuastatione templi, et de abolitione cultus Leuitici praedixerant, multis uidebatur immatura seges. Sub bello autem Iudaico, Apostolis et primis Christianis ista contigit felicitas, quamuis sub aestu afflictionum, ut maturatos fructus uerbi propheterici colligendos acciperent, et ut gratum et salubre frumentum aliis subministrare possent. Omnia enim uaticinia Christi et prophetarum de excidio Iudaeorum nunc adimpleta esse, demonstrare poterant, et per eiusmodi uerbi propheti-



phetici expositionem, frumentum porrigebant, quod *iuuenes* i. e. בְּחֹרִים *selectos* ad peragendas res sacras *uiros* proferebat. Ex primis enim Christianorum institutionibus catecheticis, heroes in fide Christiana progrediebantur, ita, ut *catechumeni* etiam, uerbo prophético innutriti, nulli essent infantes; sed *homines Dei*, ad omne opus bonum ἐξουσιμῶσι perfecte instruci, ex 2. ad Timoth. III. 17.

Discipiendum adhuc superest, num *Spiritus Christi*, Rom. VIII. 9. sub bello etiam Iudaico, habendus a Christianis, comparari queat cum *musto uirgines producente*? In Spiritum Sanctum conuenit, quod sit mustum, quod pro bono et pulchro Messiae habendum est. Nam spiritus fortitudinis, qui sub excidio Iudaeorum, Christianos recreauit et confortauit, fuit effectus gratiae et bonitatis Messiae. Ut de naturali uino dicitur, Pl. CIV. 15. *quod exbilauet cor hominis*, et de musto Iud. IX. 13. *quod laetificet Deum et homines*, sic de spiritus sancti donis eadem praedicari possunt. Spiritualia enim sunt beneficia in regno Christi. *Iustitia, pax et gaudium, in spiritu sancto* Rom. XIV. 17. Ne de iustitia, pace, et gaudio ciuili, sermonem esse, existimes, additum est ἐν πνεύματι αἰνῶν in spiritu sancto. Hic producit fructus spiritus, seu bona spiritalia, quauis esca uel potu longe praestantiora. Huius doctrina Euangelica erat *mustum*, seu uinum recens, *uirgines producens*. Virginis nomen, ex respectu ad uerum cultum Dei, populo Dei saepissime tribuitur, quemadmodum contrario sensu, meretrix et adultera uocatur ea gens, quae a uero Dei cultu discedit. Per uirgines a musto spiritus sancti productas, intelligo Christianam posteritatem, de seruanda castitate in cultu diuino, sollicitam. Christianorum sub excidio Hierosolymitano collectorum posteritas, forent *uiri iuuenes*, ad peragendas suas in regno Christi operas strenui et alacres. *Et mulieres Christianorum forent uirgines*, in obseruando Christi cultu, integrae foeminae, doctrinae Christianismi, suoque foederi baptismali sic inhaerentes, ut *sine metu, cum sanctitate*





*et iustitia Christum colant. Luc. I. 74. 75. Hae sunt uirgines, canentes Christo canticum nouum; quae sequantur agnum, quocumque ierit; primitiae Deo, et Agno sacrae. Apoc. XIV. 3. 4.* Hanc meditationem nostram forte nouam, ex collatione tamen prophetiae V. T. cum historia N. T. enatam, Lectori Beneuolulo ulterius perpendendam relinquo, et in lucem publicam produco priuilegiis et honoribus Doctoris Theologiae dignandum, scripturae interpretem, et uerbi diuini ministrum, qui didicit, quid sit bonum, quid sit pulchrum Christi, quid proferat, ut Christo gignat natos ex uerbo Domini adolescentes, formosasque et facundas per spiritum Christi uirgines.



Quod itaque bonum et pulchrum esse iubeat, optimus Rex filiae Zion, Iesus Christus, promouearur Candidatus

*Sub faustis auspiciis Serenissimi Potentissimique Domini*

**DN. FRIDERICI AVGVSTI**

*Poloniarum Regis, et Principis Saxonum Electoris, Ducis Saxoniae, Iuliae, Cluiae, Montium, Angriae et Westphaliae S. Romani Imperii Archimareschalli, Landgraffii Thuringiae, Marchionis Misniae, et utriusque Lusatae, Burggraffii Magdeburgensis, Comitis principali dignitate Hennebergici, Comitis Marchiae, Rauensbergae, Barby et Hanouiae, Domini Rauensteinii cet.*

DO.



**DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI**

cui uitam longaeuam, et exoptatissima quaeuis, salutem et pacem, humillime apprecamur

*Rectore Academiae Magnifico*

*Viro Illustri, Amplissimo atque Consultissimo Domino*

**D. ANDREA FLORENTE RIVINO,**  
Potentissimi Pol. Regis et Principis Electoris Saxoniae Confi-  
liario Aulico, Digestorum Professore Publico, Curiae prouin-  
cialis, Scabinatus, ordinisque Iuridici Assessore,

a me h. t. **PRO-CANCELLARIO,**

**CHRISTIANO FRIDERICO BAVERO,**  
*S. Theologiae Doct. et Prof. Publico Ordinario, et Alumnorum*  
*Regio-Electoralium Ephoro,* potestatem publice renunciandi  
Doctorem Theologum, ex Imperatoria, Regia et Electorali  
Auctoritate, more rituque antiquo obtiner,

**PROMOTOR GRAVISSIMVS**

*Vir Summe Reuerendus, Magnificus, Excellentissimus*

**DN. IOACHIMVS SAMVEL WEICKHMANNVS,**  
*S. S. Theol. Doctor et Prof. Publ. Ord. et Alumn. Regio-Elect.*  
*Ephorus, Collega et Fautor Honoratissimus,*

eum in finem, ut

*Viro Maxime Reuerendo, Amplissimo atque Doctissimo,*

**DN. GEORGIO FRIDERICO STRANTZIO,**  
*S. S. Theologiae Licentiato, Pastori Primario Schnebergae,*  
*scholaeque inspectori, viro in ecclesia Christi omni laude floren-*  
*ti, nobisque sincere fauenti,* summos in S. S. Theologia Hono-  
res, cum uniuersis Insignibus, Priuilegiis et Ornamentis, quibus  
**DOCTORES THEOLOGIAE** ornantur et fruuntur,  
publi-



publice et solenniter, in amplissima panegyri concedat et conferat.

Ad haec solemnia Doctoralia rite expedienda, dictus est dies XXV Maii, quem in templo Academico, horis consuetis, celebrandum, Deus felicem, faustumque esse iubeat. Ut vero solennis hic actus, eo spectatior fiat, ad eundem ornandum et frequentandum, **RÉCTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, VNIVERSOSQVE VNIVERSITATIS PATRES CONSCRIPTOS, et OMNES** *rei saevae et litterariae Patronos, Fautores et Cives, Generosissimos, Clarissimos atque Nobilissimos*, ea qua decet obseruantia et humanitate, inuitamus. P. P. Wittenbergae Feria II Pentecost. A. R. S. MDCCXLVII.

---

**PRELO EPHRAIM GOTTLOB EICHSFELD I,**  
ACADEMIAE A TYPIS.





94 A 7379

ULB Halle

3

002 376 911




56

VOA


7/11  
Nov 1923











AD  
ORDINIS THEOLOGORVM  
SOLENNEM PANEGYRIN

QVA  
D. XXV. MAII M D CC XLVII.  
WITTEBERGAE  
IN TEMPLO AD ARCEM ACADEMICCO  
S.S. THEOLOGIAE DOCTOR  
FESTO PIOQVE RITV  
RENVNCIABITVR

RECTOREM  
ACADEMIAE MAGNIFICVM  
PATRES ACADEMIAE CONSCRIPTOS  
CVM LITTERATIS AC LITTERARVM  
FAVTORIBVS OMNIBVS

OBSERVANTISSIME INVITAT  
D. CHRISTIANVS FRIDER. BAVEI  
S.S. THEOL. PROF. PVBL. ALVMN. REG. ELECT.  
EPHORVS

H. T.  
PRO-CANCELLARIVS.